



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Agenda, Sev Ritvale Osnabrvdense

Franz Wilhelm <Osnabrück, Bischof>

Coloniæ Agrippinæ

Benedictio herbarum in Festo Assumptionis B. M. V.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41233

cede. Per Dominum nostrum, &c. Et benedictio Dei Patris omnipotentis, & Filii, & Spiritus sancti, descendat super hunc liquorem Vini, & maneat semper. *Resp.* Amen. *Deinde aspergit Vinum aquâ benedictâ.*

In die Assumptionis B. Mariæ Virginis
super herbas benedictio.

Primo dicat Sacerdos, Adjutorium nostrum in nomine Domini. *Resp.* Qui fecit cælum & terram.

Oremus.

Domine sancte, Pater omnipotens, qui ab initio fecisti hominem ad imaginem tuam, & condidisti cælum & terram, solem & lunam, stellas, & omnia cælestia & terrestria; qui dominaris potestati maris; qui habes potestatem Abyssi magnæ; qui condidisti omnia elementa: tu bene **+** dicere, & sancti **+** ficare digneris has creaturas herbarum, sicut benedixisti quinq; panes in deserto & duos pisces, & satiaisti quinque millia hominum: omnesque, qui utentur ex eis, benedice **+** cere & sancti **+** ficare dignare, ut in eis fit sanitas animæ & corporis: in nomine Patris, & Filii & Spiritus sancti: & ab omnibus

bus

bus hominibus pecoribusque, qui ex hoc gustaverint, omnem putredinem, & omne phantasma Diaboli, & omnem morbum ac dolorem, expellere digneris: qui in Trinitate perfecta vivis & regnas Deus, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

Oremus.

S Vppliciter, sancte Pater, & obnixis precibus tuam deprecamur clementiam, qui mirabiliter ex nihilo cuncta creasti, qui que terram diversa proferre germina præcepisti, & varia medicamentorum genera, ad sananda generis humani corpora, herbis indidisti: benedi ✠ cere & sancti ✠ ficare has diversi generis herbas tua pietate digneris; ut, quicumque ex eis in hac solemnitate beatissimæ semper Virginis Mariæ, Dei genitricis, sumpturi sunt, tam animæ quam corporis desiderabilem percipiant sanitatem; &, eâdem intercedente, sic earum usu jucundentur salubriter, quatenus, in tuorum odore unguentorum, Paradisi januas adire mereantur: præstante Domino nostro Iesu Christo, qui tecum vivit & regnat Deus, per omnia sæcula sæculorum. Amen. Oremus.

DEus, qui, universis herbarum generibus, humanis necessitatibus præstitisti reme-

D d d

dia;

dia ; hanc herbarum collectionem, tuæ miserationis bene ✠ dic dexterâ ; ut, quisquis, languore depressus, ex eis aliquid gustaverit, Ecclesiæ tuæ sanctæ repræsentatus, optatæ munus salutis, te donante, percipiat. Per Dominum nostrum &c. *Resp.* Amen.

Responsorium.

Vidi speciosam, sicut columbam, descendentem desuper rivos aquarum ; cujus inæstimabilis odor erat nimis in vestimentis ejus. Et, sicut dies verni, circumdabant eam flores rosarum & lilia convallium. *Vers.* Quæ est ista, quæ ascendit per desertum, sicut virgula fumi, ex aromatibus myrrhæ & thuris. Et, sicut dies verni, &c.

Vers. Ora pro nobis sancta Dei Genitrix. *Resp.* Ut digni efficiamur promissionibus Christi. Dominus vobiscum, &c.

Oremus.

Veneranda nobis, Domine, hujus diei festivitas opem conferat sempiternam, quâ sancta Dei Genitrix mortem subiit temporalem, nec tamen mortis nexibus deprimi potuit ; quæ Filium tuum, Dominum nostrum, de se genuit incarnatum : qui tecum vivit & regnat in unitate &c. *Resp.* Amen.

Deinde